

tabilis in leg. *fin. Cod. de Bonis maternis*, & ibi DD. & per illum textum ita tenet Palac. Rub. in *sua Repet. fol. 48. column. 2. versic. Ex quo inferitur*, (u) & in expresso ita disponit hodié lex 14. *suprà his leg. Taur.*

75 Quæro tamen pro declaratione prædictorum: Si diversæ leges, statuta, vel consuetudines sint in loco & domicilio mariti, & diversæ in loco & domicilio uxoris, vel in loco ubi contractus matrimonii & instrumentum dotale celebratur, circa lucra ista dividenda, vel dote exigenda, vel arrhis, vel donationibus applicandis; quod domicilium vel locus debeat inspici? Et breviter & resolutivè dico, quod licet regulariter in concernentibus litis ordinationem debeat inspici locus iudicii, ut in *leg. 2. Cod. Quemadmodum testam. aper.* & in concernentibus litis decisionem debeat inspici locus contractus, ut in *leg. Ut si fundus. ff. de Eviction.* & ibi communis opinio; tamen in causa dotis, arrharum, vel aliarum donationum, indistinctè quoad omnia inspicitur locus & domicilium mariti: text. est in *leg. Exigere dotem. ff. de Judic.* & ibi notat Bartol. Alberic. Paul. & communiter DD. Abb. Felin. & communiter Canonistæ in *cap. 1. de Spons.* Licet aliter & meliùs posset dici, quod ibi non detur aliqua specialitas, sed procedat secundum jus commune: quia quando quis contrahit in aliquo loco tanquam advena statim recessurus, non sortitur ibi forum ratione contractus, sed in proprio domicilio: Item, quando confertur & destinatur solutio in alio loco, ibi debet conveniri, quia ibi dicitur contraxisse; text. est in *leg. Heres absens, §. 1. ff. de Judic. text. in leg. Contraxisse. ff. de Action. & oblig.* Sed maritus contrahendo matrimonium in loco & domicilio uxoris, & ibi faciendo instrumenta dotalia, videtur accedere & contraxisse tanquam advena statim recessurus cum uxore in proprium domicilium: ergo merito debet attendi locus & domicilium mariti, tam in his quæ pertinent ad litis ordinationem, quam in his quæ pertinent ad decisionem: & sic non est aliqua specialitas in dote, & in aliis: & ita probat text. in *dict. leg. Exigere dotem*, & ita tenet & declarat ibi Paul. de Castr. Curt. Jacob. de Sanct. Georg. Quod primò limita & intellige, nisi aliter inter maritum & uxorem cautum est. Secundò, nisi respectu extranei. Tertid, ni-

(u) Idem etiam tenet Azeved. in *leg. 6. titul. 9. lib. 5. in princ.* ubi alios allegat.

(x) De hac quæstione vide Suar. in *leg. 1. titul. 3. lib. 3. Fori, limitatione 6.* Covarrub. de *Sponsalibus, 2. part. cap. 7. in princ.* & in verb. *Ganancias*, versic. *Aut contrahitur matrimonium*, Palac. Rub. in *Rub. §. 55. num. 12. latè & novissimè Matienz. in leg. 2. titul. 6. lib. 5. Recopil. à num. 65.* ubi per conclusiones procedit.

si maritus debeat habitare in loco domicilii uxoris: argumento prædictæ leg. & ita tenent & limitant ibi prædicti DD. Moderni. Verum tamen est, quod hodié habemus novam & singularem legem partit. scilicet, *l. 24. titul. 11. part. 4.* quæ expressè disponit contrarium, imò, quod attendatur locus & domicilium contracti matrimonii & instrumenti dotalis, non verò domicilium ipsius mariti: & licet Roderic. Suar. in *dict. leg. 1. For. fol. 18. col. 2.* dicat & teneat, quod prædicta lex part. intelligatur secundum jus commune, & verificetur & procedat in casu quo maritus vult habitare in loco & domicilio uxoris; tamen certè est manifesta divinatio. (x)

76 Item quæro pro maxima & necessaria declaratione prædictarum legum, an dominium & possessio hujus medietatis lucrorum transeat ipso jure in uxorem constante matrimonio, & eo soluto, ante realem traditionem vel apprehensionem? an verò tantum habeat actionem personalem, & conditionem ex prædictis legib. ad petendum à marito vel hæredibus? Et videtur quod non transeat dominium nec possessio, sed tantum habeat actionem personalem: quia licet quando aliqui contrahunt veram & propriam societatem omnium bonorum, vel partis eorum, transeat dominium & possessio bonorum præsentium pro sua parte in consocium; quia quilibet videtur deinceps habere, tenere, & possidere bona sua nomine utriusque, & tanquam per clausulam constituti transit in alium dominium & possessio pro parte, ut in *leg. 1. vers. fin. cum leg. sequenti. ff. Pro socio.* cujus verba sunt: *In societate omnium bonorum omnes res quæ coeuntium sunt continuo, & statim sequitur leg. 2. & dicit, quia licet specialiter traditio non interveniat, tacitè tamen creditur intervenire*, & ibi notat & commendat Gloss. ordinaria, Bartol. Alb. Bald. Salyc. Fulgos. & communiter DD. licet secus sit in aliis contractibus particularibus, vel universalibus, ut in *leg. Traditionibus, Cod. de Pactis*, & in *leg. Qui tibi, Cod. de Hæred. vel action. vend.* imò, etiam si sit contractus universalis & valde favorabilis dotis: Gloss. singularis in *leg. 1. ff. de Usucap. pro dote*, & ibi communis opinio tamen in bonis futuris postea quæsitis per unum ex sociis non transit dominium nec possessio in alium; quia videtur cessare prædicta ratio: ita probat text. in

leg. *Si quis societatem contraxerit*, ff. *Pro socio*, cujus verba sunt: *Si quis societatem contraxerit, quod emerit ipsius sit, non commune, sed societatis iudicio cogitur rem communicare, & ibi Gloss. ordinaria, & communis opinio: tenet etiam & declarat Bald. in leg. 1. ejusdem titul. Cuman. in leg. Quod meo. ff. de Acquir. possess. fin. column. Alexand. in leg. 3. §. Incertam eodem tit. penult. column. & ante eos Azor. in Summa, Cod. Pro socio 5. column. probat etiam textum quem ibi ponderat Jas. in leg. Si socius, ff. de certum petat. Hodié tamen corrigitur ista sententia & communis opinio in bonis acquisitis & lucratis constante matrimonio, imò dicendum est, quod etiam transit dominium & possessio in socium pro parte in bonis futuris per contractum quæsitis: ita disponit singularis lex partit. 47. versicul. final. titul. 28. part. 3. nisi dicas, quod intelligatur mediante traditione postea sequuta, vel quod transeat & quærat res pro parte mediante actione pro socio intentanda; sed divinatio est; ideo tenendum est quod dixi. (y) Ex quo inferitur & resultat vera & clara decisio & responsio in nostra quæstione: quod lucra quæsitata constante matrimonio per maritum, attento jure communi, non quærantur uxori pro parte ipso jure quoad dominium & possessionem, nisi secuta traditione: sed hodié sit, attenda lege partit. & ita videtur tenere Palac. Rub. in *dict. repet. cap. Per vestras, fol. 27. column. 3. & fol. 46. column. 4. in fin.* & Doctor Segur. in *Repet. leg. 3. §. fin. ff. de Liber. & posth. fol. 4. & 4. column. Roderic. Suar. in Allegat. suis, in leg. 1. titul. de las Ganancias, fol. 23. versic. Quæritur ulterius*, licet certè nullus eorum sic declaret. (z) Nec obstat si subtiliter dicas, quod quando ex aliquo titulo vel causa generali vel particulari resultat vel resultare potest damnum parti, quia*

teneretur ad onera vel debita; numquam transeat ipso jure dominium nec acquisitio nisi sequatur acceptatio, ut in *leg. 1. & per totum. ff. de Acquir. hared. & in leg. Cum hæredes. ff. de Acquir. possess.* sed in nostro casu, si in uxorem transiret ipso jure dominium & possessio, statim etiam teneretur ad debita præter voluntatem suam; ergo non quærat. Quia notabiliter respondeo, quod licet ipso jure quærat, tamen debet intelligi revocabiliter, ut possit uxor (si vellet) renuntiare prædictæ medietati lucrorum, ut in *l. 60. infra his l. Taur.* & fundatur optima simili ratione: quia licet ex potentia suitatis dominium bonorum patris transeat ipso jure in filium; tamen potest se abstinere, ut in *leg. In suis. ff. de Liber. & posth. & in leg. Filius qui patri. ff. de Vulg. & pupil. & in §. Sui, Instit. de hæred. qualit. & differ.*

77 Item quæro, an sicut in matrimonio vero communicantur prædicta lucra inter maritum & uxorem, ita eodem modo communicentur in matrimonio putativo, bona fide & ignorantia inter eos contracto? Et breviter teneo quod sic: ita probat textus singularis, junctâ Gloss. ordinaria in *cap. 2. de Donat. inter virum & uxorem*, & ibi tenet Abb. Panorm. & communiter alii DD. probat etiam text. in *leg. Si cum dote, §. fin. ff. Solut. matrim.* ubi habetur, quod dos habet sua privilegia etiam in matrimonio putativo: & in expresso ita tenet Palac. Rub. in *Rep. cap. Per vestras, fol. 19. column. 2. & fol. 39. column. 2.* ubi bene fundat Roder. Suar. in *dict. leg. 1. titul. 3. lib. 3. quæst. 1. (A)* Donatio tamen pura & simplex inter eos non valet, nec confirmatur morte in matrimonio putativo. Item nec habet locum inter eos successio reciproca ab intestato, ut in *leg. 1. & per totum, Cod. & ff. Unde vir. & uxor.* & ibi communiter DD.

Item

(y) Idem resolvit Greg. in *leg. 47. titul. 28. part. 3. in gloss. ult. Suar. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. For. verb. Quæritur ulterius.* Covarrub. *lib. 3. Variar. cap. 19. num. 1. & 2.* idem esse asserens quoad possessionem: Quorum sententia vera est & recepta, quidquid adversus eam tentare fuerit ausus Tell. Fernand. in *leg. 15. Taur. n. 9. usque in fin.* cujus fundamentis satisfacit latè Matienz. in *leg. 2. titul. 9. lib. 5. Recopil. gloss. à num. 7. usque ad 15. & in leg. 7. & 10. titul. 9. lib. 5.*

(z) Idem etiam resolvit Cassan. in *Consuet. Burg. rubr. 4. §. 2. verb. Et participant, numer. 6.* Covarrub. *lib. 3. Resolut. cap. 19. num. 2.* Gregor. in *leg. 55. in gloss. magna, column. 2. & 3. titul. 5. part. 5. versic. Veritas tamen hujus quæstionis pendet: latè Matienz. in leg. 2. titul. 9. lib. 5. gloss. 3. num. 13.* licet contrarium tenuerit Tell. Fernand. ab ipso Matienz. reprehensus *lib. 2. n. 9. & 14.*

(A) Idem etiam tenet Barbat. in *cap. Ex liberis, num. 19. de pignor.* quia æquiparantur, & in nihilo ferè differunt matrimonium putativum, & verum: *cap. Debitum, de Bigamis, cap. Ad audientiam, de Sponsal. cum pluribus à Palac. Rub. in Rub. §. 36. num. 2.* idem voluit Covarrub. de *Spons. 2. part. cap. 7. §. 1. num. 3. & 8.* Tiraq. plures alios citans, pluraque in matrimonii putativi materia scribens in *dict. leg. Connubiali gloss. 8. num. 270. & seq. Matienz. in leg. 2. titul. 9. gloss. 1. num. 4. lib. 5. Recop.*

Anton. Gomez. ad Legem Tauri.

Ggg 2

78 Item quæro: Si maritus ante matrimonium contractum habet solam proprietatem in aliquo prædio vel fundo, & alter habet usumfructum; & postea, constante matrimonio, ex aliqua causa consolidatur ususfructus cum proprietate; an habeat uxor medietatem ejus, vel saltem æstimationem ejus? Et breviter & resolutivè dico quòd non; quia censetur provenire ex causa qua proprietates fuit quæsita, & non dicitur nec judicatur diversa res à proprietate: argumento text. in leg. 4. ff. de Jure dotium, ubi dicit, quòd si proprietati in dotem data accedat ususfructus, non dicitur dos nova, sed incrementum primæ dotis: text. in leg. Ratione, la 1. §. Imperator. ff. ad leg. Falc. text. in leg. Damni infecti. §. Sabini sententia. ff. de Dam. infecti. ubi habetur, quòd quando finis habet necessariam causam cum principio, attenditur principium & non finis: text. in leg. Quod ait. §. Quod ait. ff. de Adultr. text. in leg. 3. §. Socio. ff. de Minor. text. in leg. Ado, §. 1. ff. de Acquir. rer. dom. (b) & ita tenet Palac. Rub. in dict. rep. cap. Per vestras, fol. 38. column. 3. licet prius tenuerit contrarium: etiam tenet expressè Roder. Suar. in dict. leg. 1. titul. 3. For. II. fol. 24. in quest. pone quod maritus, argumento text. juncta doctrina Fabri, in §. Si cui, Instit. de Legat.

79 Item quæro, si uxor decedat sine acceptatione vel repudiatione horum lucrorum, & ante declarationem suæ voluntatis, an prædicta lucra transmittantur ad hæredes, ut possint acceptare? Et dico quòd sic: quia licet jura universalialia, quæ proveniunt per viam successionis ex testamento vel ab intestato, non transmittantur; tamen alia jura particularia, provenientia ex contractu, vel legis dispositione, bene transmittuntur: argumento text. in leg. 3. ff. de Interdictis & releg. text. in leg. fin. Cod. de Bon. mater. cum simil. & tenet Palac. Rub. in dict. repet. cap. Per vestras, fol. 39. column. 4.

Item quæro, si in solo proprio mariti fiat ædificium constante matrimonio; dato quòd illud cedat solo, an valor ejus debeat æstimari, &

(b) Ita tenet Molina in Consuet. Paris. titul. 1. §. 30. quest. 50. versic. 20. & Palac. Rub. in Repet. rubr. de donat. inter vir. §. 62. num. 13. ad fin. Covarrub. de Sponsal. 2. part. cap. 7. §. 1. num. 9. Gregor. in leg. 18. verb. Æstimata, titul. 11. part. 4. Oldrad. consil. 140. Matienz. in leg. 2. titul. 9. lib. 5. gloss. 1. num. 88.

(c) Vide quæ diximus in num. 72. 75. ibi: Ut propter adulterium: idem etiam probat leg. 5. titul. 9. lib. 5. Recop. tenet Covarrub. de Sponsal. 2. part. cap. 7. §. 6. num. 12. Matienz. in dict. leg. 5. num. 1. gloss. 8. Villab. in Erario commun. opinionum, litt. B. num. 51. & 52. Aviles in Proemio prætorum, num. 39. Menes. in leg. Fideicommissum, num. 7. Cod. de Fideicommissis, ubi num. 14. querit, an idem erit in viro luxuriosè vivente, mortua uxore? pluraque in proposito adducit Acoft. in cap. Si pater, de testam. in 6. part. 1. leg. num. 38. relatus à Pelacæ de Micr. de Majoratibus, 1. part. quest. 48. column. 2. ad fin. Azeved. in leg. 5. titul. 9. lib. 1. n. 23. & vide etiam suprâ, in leg. 40. num. 17.

medietas applicari uxori? Et teneo quod sic; licet Roder. Ruar. in dict. leg. 1. Fori, fol. 24. versic. Sed pone, dicat, quòd tantum sumptus & expensæ communicantur. Item adde, quòd, confiscatis bonis mariti, non confiscatur medietas lucrorum quæ pertinet uxori; argumento text. in leg. 1. & per totum, Cod. Ne uxor pro marito, & in leg. 1. Cod. de Privil. fisci, & in leg. 1. Cod. ad leg. Jul. de vi, & in leg. Cum duob. §. fin. ff. pro soc. & tenet Palac. Rub. in dict. reper. cap. Per vestras, fol. 46. column. 2. & expressè disponit lex 77. infrâ, his II. Taur.

Item quæro, si soluto matrimonio mulier vidua committat adulterium, an perdat ista lucra, quæ causa & industria mariti fuerunt quæsita? Et dico quod sic: ita disponit lex 4. tit. 4. lib. 5. Ordin. & tenet Palac. Rub. in dict. reper. cap. Per vestras, fol. 47. column. 4. & confirmatur ex Gloss. notabili, & communi sententia in leg. Fideicommissum, Cod. de Fideic. ubi habetur, quòd hæreditas, legatum, vel fideicommissum relictum uxori revocatur per stuprum postea commissum: imò etiam perditur dos, sicut per adulterium commissum vivente marito, secundum Paul. de Castr. & communiter DD. ibi. (c)

TEXT. LIV.

LA muger, durante el matrimonio, no pueda sin licencia de su marido repudiar ninguna herencia que le venga ex testamento, ni ab intestato: pero permitimos, que pueda aceptar sin la dicha licencia qualquier herencia ex testamento, y ab intestato con beneficio de inventario, y no de otra manera.

Id est:

Uxor, durante matrimonio, non possit abque mariti licentia quamcumque hereditatem ad eam pertinentem ex testamento, seu ab intestato, repudiare. Verùm permitimus, ut absque prædicta licentia possit acceptare quamcumque hereditatem illi advenientem ex testamento, seu ab intestato, cum beneficio inventarii, & non aliter.

TEX-

TEXT. LV.

LA muger, durante el matrimonio: sin licencia de su marido como no puede hacer contrato alguno, assimismo no se pueda apartar, ni se desistir de ningun contrato que á ella toque, ni dar por quitto à nadie de él; ni pueda hacer quasi contrato, ni estâr en juicio, haciendo, ni defendiendo sin la dicha licencia de su marido; y si estuviere por sí, ò por su Procurador, mandamos, que no vala lo que hiciera.

Id est:

Uxor, durante matrimonio, quemadmodum absque mariti licentia non potest ullum contractum facere, sic etiam non possit recedere, aut desistere ab ullo contractu ad ipsam pertinenti, nec illo quemquam liberare, nec quasi contractum facere, nec in judicio agere, aut defendere sine prædicta mariti licentia: quòd si per se, ac per suum Procuratorem fecerit, volumus ut quod fecerit sit invalidum.

TEXT. LVI.

Mandamos, que el marido pueda dar licencia general à su muger para contraer, y para hacer todo aquello que no podia hacer sin su licencia: y si el marido se la diere, valga todo lo que la muger hiciera por virtud de la dicha licencia.

Id est:

Præcipimus, ut maritus possit dare uxori generalem licentiam ad contrahendum; & omne illud agendum, quod sine illius licentia non posset: quam si maritus ei dederit, quicquid virtute ejus licentia fecerit, sit validum.

TEXT. LVII.

EL Juez, con conocimiento de cosa legitima, y necesaria, compela al marido que de licencia á su muger para todo aquello que ella no podria hacer sin licencia de su marido: y si compelido no se la diere, que el Juez solo se la pueda dar.

Id est:

Judex, præcedente legitima, & necessaria causa cognitione, maritum compellat uxori licentiam dare ad id omne quod ipsa agere non posset sine mariti licentia: quam si compulsus non dederit, Judex solus ei possit illam dare.

Anton. Gomez. ad Legem Tauri.

TEXT. LVIII.

EL marido pueda ratificar lo que su muger hoviere hecho sin su licencia, no em bargante que la dicha licencia no haya precedido: ora la ratificacion sea general, ò especial.

Id est:

Maritus possit ratum facere quod mulier fecerit sine ipsius licentia, quamvis ea licentia non præcesserit; sive ratificatio sit generalis, sive specialis.

TEXT. LIX.

Quando el marido estuviere ausente, y no se espera de proximo venir, ò corre peligro en la tardanza, que la Justicia con conocimiento de causa, siendo legitima, ó necesaria, ò provechosa à su muger, pueda dar licencia á la muger, la que el marido le havia de dar: la qual assi dada vala como si del marido sea.

Id est:

Quum maritus absens fuerit, nec expectatur de proximo venturus, aut periculum est propter moram; Justitia (Hispanice la Justicia) Minister cum causa cognitione; legitima, existente, aut necessaria, aut utili uxori sua, possit uxori eam licentiam dare, quam maritus illi daturus esset: qua sic data sit valida, ac si mariti esset.

COMMENTARIUM

In Legem LIV. LV. & c.

Cum sequentibus usque ad Legem LX.

SUMMARIUM.

1. Mulier conjugata quòd non possit facere contractum sine licentia viri: & qua sit ratio?
2. Si contractus est utilis ipsi mulieri, an possit fieri sine licentia viri?
3. Si uxor contrahat cum suo marito vel agat in judicio contra eum, an requiratur ejus licentia?
4. Si uxor & maritus simul faciant aliquem contractum cum tertio, an requiratur licentia mariti?
5. Si uxor contrahat cum aliquo in presentia mariti, an sufficiat ejus taciturnitas?

G g g 3

Si